

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Confessio e
cum fonte proximo et primo

Discretio confessori ualde necessaria est.

Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore,
in perseuerancia, in uarietate persone;
cuius fuerit etatis, cuius sapientie et ordinis,
et quali hoc fecerit temptatione
et in ipsius uicii multiplici executione.

Augustinus in libro de penitentia.

Augustinus in libro De poenitentia. Ideo

discretio poenitenti ualde necessaria est,

ut illa gerat quae Augustinus tradit dicens:

«Consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore,
in perseuerantia, in uarietate personae,

et quali hoc fecerit temptatione,

et in ipsius uitii multiplici executione.

Oportet enim poenitere fornicantem secundum excellentiam
sui status vel officii, et secundum modum meretricis,
et in modum operis sui, et qualiter turpitudinem egit;
si in loco sacro, si in tempore orationi constituto,
ut sunt festiuitates et tempora ieiunii.

Consideret quantum perseuerauerit, et defleat quod
perseueranter peccauit; et quanta victus fuerit impugnatione.

Sunt enim qui non solum non vincuntur,

sed ultro se peccato offerunt;

nec exspectant temptationem, sed praueeniunt voluptatem.

Et pertractet secum quam multiplici actione
uitii delectabiliter peccauit.

Omnis ista uarietas confitenda est et deflenda,

ut cum cognouerit quod peccatum est,

cito inueniat Deum propitium.

In cognoscendo augmentum peccati, inueniat

cuius aetatis fuerit, cuius sapientiae et ordinis....»

Petrus Lombardus, *Sententiae in IV. libris distinctae*, 4.16.2.1

(*Spicilegium Bonauenturianum*, editio tertia, pp.337-8, ll.16-23,
1-8).

Consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore,
in perseuerantia, in uarietate personae,

et quali hoc fecerit temptatione,

et in ipsius uitii multiplici executione.

Oportet enim poenitere fornicantem secundum excellentiam
sui status aut officii, et secundum modum meretricis,
et in modo operis sui, et qualiter turpitudinem suam peregit.

Si in loco sacro, aut cui debuit excellentiam fidei, ut sunt
domus dominorum et aliorum multorum; si in tempore orationi
constituto, aut in festiuitate sanctorum, et in tempore jejunii:
consideret quantum perseuerauerit, et defleat quod
perseueranter peccauerit, et quanta victus fuerit impugnatione.

Sunt enim qui non solum non vincuntur sed ultro se offerunt

peccato: nec exspectant temptationem, sed praueeniunt

voluptatem, et pertractant secum quam multiplici actione
uitii delectabiliter peccant.

Omnis ista uarietas confitenda est et deflenda;

ut cum cognouerit quod peccatum est multum,

cito inueniat Deum propitium.

In cognoscendo augmentum peccati, inueniat se

cujus fuerit aetatis, cuius sapientiae, cuius ordinis,

et statum omnem alterius non peccantis.

Auctor incertus (Augustinus Hipponensis?), *De uera et falsa
poenitentia ad Christi deuotam*, 14 (PL 40, col.1124).